



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Sessio Quarta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

gitimè cōgregata, in ea præsidentib. eisdē tribus Apostolicæ Sedis legatis, intelligēs multos Prælatos ex diversis partib. accinctos esse itineri, nōnullos etiam in via esse, quo huc veniant; cogitansq; omnia ab ipsa sacra Synodo discernenda, eò maioris apud omnes existimationis, et honoris videri posse, quo maiori fuerint, & pleniori Patrū consilio, & presentia sancta, & corroborata; statuit, & decrevit futurā Sessionem post presentem celebrandā esse die Iouis, quæ subsequetur Dominicā Letare, proximè futuram: interim tamen nō differri discussionem, & examinationē eorū quæ ipsi Synodo discutienda, & examinanda videbūtur.

SESSIO QVARTA,  
CELEBRATA DIE VIII. MENSIS  
APRILIS,  
M. D. XLVI.

Decretum de Canonicis scripturis.

Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridēntina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelij in Ecclesia conseruetur: quod promissū antep per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus, Dei filius, proprio ore primū promulgavit, deinde per

suos

a Marc.  
vlt.

b In Can.  
Apost. ca.  
84.  
Innoc. I.  
epi. 3. c. 7.  
Gelas in  
Conc. 70.  
epi. Cōc.  
Laod. c. 59  
Concil.  
Carth. 3.  
cap. 47. c.  
sancta  
Rō. dist.  
15. & fin.  
epist. Eu-  
gen. in  
Cōc. Flo-  
rent. ad  
Arme-  
nos.

suos Apostolos tanquam fontem omnis, & sa-  
lutaris veritatis, & morū disciplina, a omni  
creatura predicari iussit: perspiciensque hanc  
veritatem, & disciplinam contineri in libris  
scriptis, & sine scripto traditionib. que ipsius  
Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis A-  
postolis, Spiritu sancto dictante, quasi per ma-  
nus traditæ, ad nos vsq; peruenērūt, ortho-  
dorum Patrum exempla secuta, oēs libros tam  
veteris, quàm noui Testamēti, cum vtriusque  
vni Deus sit auctor, necnō traditiones ipsas,  
tum ad fidem, tum ad mores pertinētes, tam-  
quā vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu san-  
cto dictatas, & cōtinua successione in Ecclesia  
Catholica conseruatas, pari pietatis affectu, ac  
reuerentia suscipit, & veneratur. Sacrorū ve-  
rō librorū b Indicem huic decreto adscriben-  
dū censuit; ne cui dubitatio suboriri possit, qui  
nam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sūt  
verò infrascripti, Testamenti veteris quinque  
Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Nu-  
meri, Deuteronomiū, Iosue, Iudicū, Ruth, qua-  
tuor Regū, duo Paralipomenon, Esdræ primus,  
& secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias,  
Iudith, Hester, Iob, Psalteriū Dauidicum 150.  
Psalmorum, Parabole, Ecclesiastes, Canticum  
canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias,  
Hieremias cū Baruch, Ezechiel, Daniel, duo-  
decim Prophete minores, id est, Osea, Ioel,  
Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naū, Abacuc,

Sopho-

Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo  
 Machabæorū, primus & secundus. Testamenti  
 noui, quattuor Euangelia, secundū Mattheum,  
 Marcum, Lucam, & Ioannē. Actus Apostolorū  
 à Lucā Euangelista conscripti: quatuordecim  
 Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duo ad  
 Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philip-  
 penses, ad Collossenses, due ad Thessalonicēses,  
 due ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonē  
 ad Hebræos: Petri Apostoli due, Ioannis Apo-  
 stoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli  
 vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis  
 autem libros ipsos integros cum omnibus suis  
 partibus, prout in Ecclesia Catholica legi con-  
 sueuerūt, & in veteri vulgata Latina editio-  
 ne habentur, pro sacris, & canonicis non susce-  
 perit, & traditiones prædictas sciens & pru-  
 dens contempserit. anathema sit. Omnes itaque  
 intelligant, quo ordine, & via ipsa Synodus,  
 post iactum fidei confessionis fundamentū, sit  
 progressura, & quib. potissimum testimonijs,  
 ac præsijs in confirmandis dogmatibus, &  
 instaurandis in Ecclesia moribus, sit vsura.

**Decretum de editione & vsu sacrorum  
 librorum.**

Insuper eadem Sacrosancta Synodus cōside-  
 rans, non parū utilitatis accedere posse Eccle-  
 siæ Dei, si ex omnib. Latinis editionibus, quæ  
 circumferuntur, sacrorum librorum, quænam

prout authentica habēda sit, innotescat; Statuit,  
 & declarat, vt hęc ipsa vetus, & vulgata edi-  
 tio, quę longo tot seculorū vsu in ipsa Ecclesia  
 probata est, in publicis lectiōib. disputatiōi-  
 bus, prædicationibus, & expositionib. pro au-  
 thentica habeatur. vt nemo illam reijcere quo-  
 uis pretextu audeat, vel præsumat.

a cap. hæ-  
 resis, & c.  
 Adam, in  
 fin. 24. q.  
 3. & infra  
 Sess. 13.  
 cap. 1.

b Sic Sy-  
 nodus in  
 Trull. c.  
 19. quam  
 putant.  
 Const. 1. c.  
 exijt cir-  
 ca fin. de  
 verb. sig.  
 in 6. lib. 5.

Præterea, vt a coercenda petulantia inge-  
 nia, decernit, vt nemo, suę prouidētie innixus,  
 in rebus fidei, & morum, ad edificatiōē do-  
 ctine Christianę pertinentium, sacram Scri-  
 pturam ad suos sensus contorquens, cōtra eum  
 sensum, quē tenuit, & tenet sancta mater Ec-  
 clesia, cuius est iudicare de vero sensu, & in-  
 terpretatione Scripturarum sanctarum, aut et  
 b contra vniuersum consensum Patrum, ipsam  
 Scripturam sacram interpretari audeat; etiā-  
 si huiusmodi interpretatiōes nullo vnquam  
 tempore in lucem edendę forent. Qui contra-  
 uenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis  
 à iure statutis puniantur.

Sed & impressoribus modum in hac parte,  
 vt par est, imponere volens, qui iā sine modo,  
 hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine  
 licentia superiorum ecclesiasticorū, ipsos Sa-  
 crę Scripturę libros, & super illis annotatiōes,  
 & expositiones quarūlibet indifferentes, sepe  
 tacito, sepe et emēito prælo, & quod grauius  
 est, sine nomine auctoris imprimūt, alibi etiam  
 impressos libros huiusmodi temerē venales ha-

bent:

bēt: decernit & statuit, vt post hoc sacra Scri-  
ptura, potissimū verò hæc ipsa vetus & vulga-  
ta editio quā emēdatissimè imprimatur, nul-  
liq; liceat imprimere, vel imprimi facere quol-  
uis libros de rebus sacris sine nomine auctoris,  
neq; illos in futurū vèdere, aut etiam apud se  
retinere, nisi primū examinati probatiq; fue-  
rint ab Ordinario, sub pœna anathematis & pe-  
cunie, & in canone Cōcilij nouissimī Lateranē-  
sis apposita. \* Et si regulares fuerint, vltra exa-  
minationem, & probationem huiusmodi, licē-  
tiam quoq; à suis superioribus impetrare tene-  
antur, recognitis per eos libris, iuxta formam  
suarum ordinationum Qui autē scripto eos cō-  
municant, vel euulgant, nisi antea examinati,  
probatiq; fuerint, eisdē pœnis subiaceāt, quib⁹  
Impressores. Et qui eos habuerint, vel lege-  
rint, nisi prodiderint auctores, pro auctore  
habeantur. Ipsa verò huiusmodi librorū proba-  
tio in scriptis detur, atq; ideo in frōte libri, vel  
scripti, vel impressi, authenticè appareat: idq; ue-  
totū, hoc est, & probatio, & examē gratis fiat:  
vt probanda probentur, & reprobentur impro-  
banda. Post hæc temeritatē illā reprimere vo-  
lens, qua ad profana quæq; cōuertuntur, & tor-  
quentur verba, & sententiæ sacre Scripturæ, ad  
scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes,  
detractiones, superstitiones, impias & diabo-  
licas incātationes, diuinationes, sortes, libellos  
etiā famosos, mādāt & præcipit, ad tollendam

c Sess. 10.  
de im-  
pressione  
librorum  
sub Leo-  
ne X.  
\* Vide  
post finem  
libri.

huiusmodi irreuerentiam & contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc, & similia audeat usurpare; vt omnes huius generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, iuris & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.

Indictio futuræ Sessionis.

Item hæc sacrosancta Synodus statuit, & decernit, proximam futuram Sessionem tenendam, & celebrandam esse feria quinta, post sacratissimum festum proximum Pentecostes.

SESSIO QUINTA.  
CELEBRATA DIE XVII.  
MENSIS IUNII  
M. D. XLVI.

Decretum de peccato originali.

**V**T fides nostra Catholica, a sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sui sinceritate integra & illibata permaneat, & ne populus Christianus b omni vento doctrine circumferatur; cum c Serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, eiusque remedio non solum noua, sed vetera etiam dissidia excitauerit: Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus

in Spi-